



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Urceoli, Panis, Vinium.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

quem in me erga te amorem sentio, tibi demissimè offero.

Urceoli, Panis, Vinum.

URceolus aquæ, quod Pilatus aquâ manû laverit, urceolus vini, quod vinum tibi myrthatum in Cruce propinatum fuerit, species in me devotas excitabit. Et quia scio per modicam aquæ guttam ex urceolo vino in calice miscendam significari naturam humanam, per vinum verò divinam humanæ junctam. Hinc devotè denuò stupendum Incarnationis mysterium venerabor.

Demum panis & vinum transsubstantianda in corpus & sanguinem tuum solidam, & radices profundas in corde meo agentem excitabunt reflexionem, & ad amarâ passionem tuam, & omnium fidelium in & per te unionem. Tu enim verum frumentum Electorum, ut animæ nostræ alimentum esses, falce mortis abscissus, Crucis ligno & clavis triturratus, innumeris persecutionibus in diversis tribunalibus cribratus, flagellis tanquam molâ contritus, demum in furno immensorum laborum excoctus venis de sede gloriæ tuæ sub specie panis ad nos alendos, & sub specie vini ad nos potandos, priùs calcatus ab inimicis, pressus in torculari crucis adeò, ut omni expressâ guttâ sanguinis aqua tandem è S. latere tuo profluxerit. Et cum panis & vinum proveniant ex unione multorum granorum à vili & crassiore substantia separatorum, valdè aptè referent unionem fidelium Ecclesiæ unâ fide & corde uno conven-

nientium ad hoc divinum Sacrificium conferendum juxta illud 1. Cor. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, communicatio sanguinis Christi est, & panis, quem frangimus, participatio Corporis Domini est; & qui de uno pane participamus, unum corpus sumus.*

ORATIO TERTIA.

Explicans varias caerimonias à Sacerdote observandas.

Explicatio sitûs, mutationis loci, Sacerdotis in Altari.

ITus ad Altare inchoationem utriusque Sacrificii cruenti & incruenti designat. Descensus Sacerdotis ab Altari lapsum humani generis per Adam; & tuum mi Deus descensum de caelo, humiliationemque, dum homo factus es, indicat. Ascensus ad Altare humani generis per te reparationem tuamque significat glorificationem. Statio in Altaris medio, quod tu sis mediator primarius, & Sacerdos personam tuam gerens secundarius Mediator sit patrem inter tuum & homines. Transitus à cornu Epistolæ ad latus Evangelii tuum significat Domine à vita privata ad publicam transitum. Et cum etiam latus Evangelii gentes, ad quas illuminandas venisti, & latus Epistolæ Judæos, quibus primò prædicasti, significet. Transitus quoque iste Sacerdotis à cornu Epistolæ ad latus Evangelii transitum tuum à Judæis ad Gentes designat juxta